



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118294**

§. 166. Philippus paternæ cædis vindex.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)

molli brachio repellebant, excepto solo Sæcul. XV.  
A.C.1419.  
Nobili de Nouailles Buchiensis Dynastæ fratre, qui cum strenue sese parricidarum gladiis objiceret, vulnere affectus, tertio expost die animam efflavit. Multi Delphinum hujus cædis conscium fuisse affirmabant; Juvenalis tamen Ursinus in Historia Caroli VI. omnibus viribus eum ab hoc crimine absolvere nititur: Alii econtra horrendum hoc facinus, vel jussu, vel consilio cujusdam Principis, proximi Gallicæ coronæ hæredis patratum fuisse, asseveranter testantur. Utut res se habeat, hoc flagitium honori, ac famæ Delphini teterrimam notam inussit.

## §. CLXVI.

*Philippus paternæ cædis vindex.*

Philippus unicus defuncti Ducis hæres Juven. Urs.  
l. c.  
Patris sui cædem ulcisci parabat, nec consilio suo vires deficiebant, cum omnes Burgundicæ Domus Amici, cunctique Gallis male affecti validum offerrent auxilium. Quinimo facinoris atrocitas etiam magis imbelles animabat, & Parisienses antiqua sua renovabant studia; Philippus quoque populi amorem sibi conciliaturus, Anglos ad ineundas inducias induxit, exclusis Delphini Deputatis, licet eadem ex caussa Rothomagum venissent. Eo ex temporis articulo Galli, Angli,

Secul. XV. Angli, & Burgundi perinde, ac si unius  
A.C. 1420. Patris filii, eademque gens essent, mu-  
 tuam cohere amicitiam, atque anno se-  
 quenti Henricus V. Anglorum Rex Ca-  
 tharinam de Francia matrimonio sibi co-  
 pulavit.

## §. CLXVII.

*Emanuelis Imperatoris Filii Catholi-  
 corum Principum Filiabus de-  
 sponsati.*

**I**n Oriente Emanuel Constantinopoli ad-  
 huc sceptrum rotabat. Princeps erat  
 apprime doctus, præcipue tamen schis-  
 maticorum erroribus, eorumque parti-  
 bus usque adeo addictus, ut ad tuendas  
 illorum opiniones ipse calamum suum  
 exercuerit. Verum successu temporis  
 fervor decrevisse videbatur, sive ex eo,  
 quod veritatem agnoverit, sive quod eam  
 agnovisse, in sui commodum simulave-  
 rit. Hic, dum Isthmum Corinthiacum  
 clauserat, ut Turcas Peloponesi aditu ar-  
 ceret, Latinorum fidei unacum Euthymio  
 Patriarcha, Theologo præstantissimo i-  
 terum accedere decreverat; cum ergo  
 comperisset, demortui Patriarchæ suc-  
 cessorem, Josephum Metropolitam Ephe-  
 sinum paria fovere desideria, petiit a Mar-  
 tino V. nuper in Constantiensi Synodo  
 electo, ut senos, quos habebat, Filios,  
 Joan-